

sufficit probabilis notitia de formali continentia particularis in universali revelata.

R. N. A. vel D. Potest credi actu fidei implicite conditionato, si nempe hostia vere sit consecrata C. actu fidei absoluto *subd.* relate ad hostiam ut sic vere consecratam C. relate ad hanc numero hostiam N.

Ad prob. 1^{am}. R. Quamvis id coram imperito vulgo occasio posset esse scandali, tamen reipsa et coram Theologis scandalosum non est; cum hæc propositio nihil aliud sonet, ac non esse revelatum a Deo, hanc hostiam esse vere consecratam. Unde nec esset absolute martyr; qui pro hujus propositionis veritate moreretur.

Ad prob. 2^{am}. R. Et præceptum illud et actum fidei esse absolutum relate ad existentiam Christi sub hostia vere consecrata, implicite conditionatum autem relate ad hanc numero hostiam.

Inst. 6. Hostia, quæ ita probabiliter est consecrata, ut non detur motivum positivum prudens de opposito, est absolute adoranda; ergo etiam absolute credi potest Christi ibidem præsentia; tum quia adoratio æque exhibetur in obsequium divinum, ac actus fidei: tum quia ut hostia possit absolute adorari, debet prius absolute credi, sub illa dari objectum adoratione dignum.

R. C. A. Quamvis enim adoratio hæc a quibusdam dicatur præsuppositive conditionata, quatenus nempe præsupponit cognitionem, qua prudenter judicat esse hostiam vere consecratam et adesse Christum; non est tamen formaliter aut terminative conditionata, quasi diceret: adoro te Christe, si forte es sub his speciebus. N. Cons. Disparitas est, quia adoratio est actus virtutis moralis atque ad voluntatem pertinens, ac consequenter remote fundari potest in iudicio solum probabili, ut proxime dictum fuit; de quo tamen ulterius advertit, iudicio huic in præsentem casu nec positivum nec negativum dubium adjungi; quia nec rationes in contrarium æquales illis quæ adsunt pro vera consecratione, nec etiam nullas rationes pro utraque parte habemus; potest nihilominus *levis* quædam *formido* ex eo oriri, quod possibile sit hostiam non esse vere consecratam, vel ex defectu legitimæ ordinationis vel intentionis in Sacerdote; quæ tamen si prudenter impedire possent adorationem, omnes hostiæ ea carerent. His adde, quod, supposito etiam defectu consecrationis reipsa factæ, non committatur *idololatria* saltem *formalis*; quia non adoramus hic objectum, quodcumque ibi fuerit, sed ea refertur in Christum: unde licet intellectus invincibiliter erret iudicando ibidem existentiam Christi, non errat tamen voluntas, quæ in solum Christum tendit, quem, quia iudicatur ibi contineri, honestum decernit adorari.

Ad prob. 1^{am}. R. D. Æque, h. e. uterque actus exhibetur in obsequium divinum C. Æque, h. e. eodem modo N. Diversissimum autem modum tendendi in actu fidei supernaturalis hactenus satis indicavimus, eundem uberius infra declaraturi.

Ad prob. 2^{am}. N. Ass. Nequidem enim certum iudicium speculativum in hoc et aliis virtutum moralium actibus requiri; similiter dictum est supra.

ARTICULUS III.

AN VERITAS VIRTUALITER SOLUM AC MEDIATE REVELATA SIT OBJECTUM MATERIALE FIDEI.

69. Nota I. Pro ratione continentiæ unius prædicati vel propositionis in alio, dicitur aliquid *formaliter* vel *virtualiter* revelatum: si aliquid sit formaliter idem cum altero, uno revelato etiam aliud dicitur formaliter revelari; virtualiter vero dicitur revelari aliquid in alio, si quid tantum realiter idem est cum altero formaliter revelato, cujusmodi sunt proprietates etiam metaphysiæ respectu essentiæ. Sicut vero formalis revelatio solet dici immediata, sic etiam virtualis dicitur mediata; quæ quidem duplex est, scilicet vel *mediata* ex parte *subjecti*, ubi Deus non immediate per seipsum sed per Prophetas et Apostolos aliquid revelavit; quam tamen hic non usurpamus: vel *mediata* ex parte *objecti*, ubi aliquid nec in se ipso formaliter etiam continetur in alio explicite revelato; sed tantum continetur virtualiter in alio tanquam in causa et radice, aut cum eo sic connectitur, ut per legitimam consequentiam ex eo necessario deducatur.

70. Nota II. Licet cognitio divina non possit esse præcisiva, adeoque Deus cognoscendo alicujus rei essentiam etiam debeat cognoscere illius proprietates; revelatio tamen divina saltem externa potest esse *præcisiva*, adeoque Deus ad extra potest revelare essentiam, quin revelet ejus proprietatem metaphysicam aut physicam. Ratio utriusque est, quia Deus in cognoscendo est *necessarius*; unde quidquid est cognoscibile ratione suæ omniscientiæ cognoscere debet: in revelando autem est *liber*, atque ad revelationem utitur signis creatis aut vocibus secundum liberam institutionem manifestativis; quæ cum exprimant unam formalitatem, quin aliam etiam realiter identificatam manifestent, etiam Deus potest unam sine altera revelare. Præterea etiam, cum revelatio non sit manifestatio quæcumque, sed talis, quæ interposita loquentis auctoritate tendit ad notitiam alicujus rei dandam audienti; sequitur, voces et signa ex se posse audientem deducere in cognitionem ejusdem objecti, quin tamen illud proprie ac testando a loquente revelatum sit, ac consequenter credibile.

71. Dico. Veritas virtualiter duntaxat et mediate in altero explicite revelato contenta, non est objectum materiale fidei.

Prob. Quod non creditur aut credi potest tantum vi loquentis Dei ac revelationis, non est objectum materiale fidei; quia formalis tendentia actus fidei est hæc: Credo hoc, quia Deus dixit seu revelavit: sed veritas *virtualiter* duntaxat et *mediate* in altero explicite revelato contenta sic non creditur nec credi potest; nam actus fidei, quo crederem v. g. risibilitatem Christi, eo quod humanitas Christi revelata fuit, *imprimis* non potest habere hanc tendentiam: Credo Christum esse risibilem, quia Deus dixit eum esse hominem; ut patet ex ipsis terminis, eo quod sic non importetur motivum fidei efficiens objectum materiale seu risibilitatem: *Deinde* neque istam:

Credo Christum esse risibilem, quia Deus dixit esse hominem, et omnis homo est risibilis; nam talis actus partialiter nititur illi rationi philosophicæ, quod omnis homo sit risibilis: *Denique* nec hanc: Credo Christum esse risibilem, quia Deus hoc dixit; nam supponitur Deum tantum dixisse, Christum esse hominem: dicere autem, Christum esse hominem, secundum se non importat intentionem ingerendi aliquem formalem conceptum de risibili, neque intentionem manifestandi formalem conceptum seu mentem de risibili, quæ tamen intentio saltem implicita requiritur ad propriam locutionem; ergo.

Conf. 1. Revelatio Dei *ad extra* potest esse præcisiva, et etiam de facto est; quia prout ad nos pertingit, est signum vel vox, quæ formaliter et immediate tantum nobis inferunt conceptum essentialem rei per ea significatæ; ergo ex hoc quod Deus revelet formaliter essentialiam, revelationi divinæ non substant proprietates et alia prædicata, formaliter et ratione ratiocinata distincta.

Conf. 2. Ideo formaliter revelata præcise essentialia, etiam proprietates essent de fide, quæ in illa *virtualiter* continentur; quia Deus illam explicite revelando, has etiam implicite revelare intenderet: sed hoc nec constat *ex se* et vi ipsius revelationis probatur: nec *ex facto*; cum potius inde sciamus Deum proprietates etiam explicite revelasse, quales sunt passibilitas et mortalitas respectu Christi, dum eas credi voluit: nec *ex fine*; cum Deus specialem habere possit et habeat sæpe finem ad revelandam essentialiam, v. g. humanitatem Christi, quam ad revelandam proprietatem, v. g. passibilitatem vel risibilitatem ejusdem; ergo.

72. *Obj. I.* Revelato aliquo prædicato, revelantur omnia cum ipso realiter identificata, quia quidquid verificatur de uno, verificatur etiam de aliis realiter cum illo identificatis; ergo.

R. N. A. *Ad prob. D.* Quidquid verificatur de uno formaliter accepto, verificatur etiam de aliis realiter cum illo identificatis N. quidquid verificatur de uno realiter accepto *subd.* verificatur etiam quomodocumque, nempe vel vi naturalis connexionis vel vi revelationis, de aliis realiter identificatis C. verificatur præcise vi revelationis N. Minime autem ex his inferri posse contradictionem, vel ipsi Adversarii probant, dum fatentur essentialiam revelari formaliter et immediate, proprietates autem *virtualiter* duntaxat et mediate. Quod porro nec formaliter reveletur proprietas, revelata formaliter essentialia, et revelatio essentialis sit præcisiva, ex superioribus satis liquet.

Inst. 1. Deus revelando aliquam rem, eam revelat juxta suam naturam, quam reipsa habet; tum quia revelatio Dei est manifestatio scientiæ, quam habet Deus de illa re: tum quia Deus revelando v. g. *Christum esse hominem*, non voluit dicere, cum esse hominem metaphysicum seu metaphysice sine proprietatibus sumptum: tum quia revelat juxta communem et humanum modum loquendi, secundum quem quando dicitur v. g. homo, non solum dicitur ejus essentialia, sed etiam ipsius connaturalis status, ut moles corporis cum sua extensione, quantitate et organizationibus: tum quia revelato de Christo esse hominem, est de fide, Christum habuisse omnia ad statum connaturalem pertinentia, nisi specialis ratio vel fides ipsa nos cogat aliquid excipere; ergo.

R. D. A. Revelat secundum naturam, quam reipsa habet, et in quantum eam revelatio externa exprimit C. simpliciter secundum naturam, quam reipsa habet N. Equidem nihil revelat de aliquo, quod reipsa non habeat; non tamen omnia, quæ habet, revelat.

Ad prob. 1^{am}. R. D. Revelatio est manifestatio vel adæquata vel inadæquata scientiæ, quam Deus de aliqua re habet C. semper adæquata N.

Ad prob. 2^{am}. R. D. Non voluit dicere Christum esse hominem metaphysicum etc. h. e. noluit dicere Christum habere tantum essentialiam metaphysicam hominis, non autem proprietates C. noluit vi hujus revelationis solum manifestare ac credendam proponere essentialiam hominis metaphysicam de Christo N.

Ad prob. 3^{am}. R. D. Secundum communem loquendi modum, dum dicitur homo, per se loquendo dicitur etiam ejus status connaturalis etc. N. per accidens et si ex circumstantiis loquentis intentio colligitur, dicitur etiam status connaturalis etc. C. Hoc postremo modo v. g. si interroganti, an sacrificium missæ sit cultus Deo gratus, quis responderet, ipse Christus id instituit, per hoc implicite omnino diceret id Deo placere, quamvis hæc complacentia solum sit terminus, quo eum connectitur Christi institutio: hinc Paulus 1. ad Cor. 15. ex resurrectione Christi *ut causæ exemplaris et meritorie* probat esse de fide nostram omnium resurrectionem, ut ibid. explicat lect. 2. S. THOMAS.

Ad prob. 4^{am}. D. Ex vi illius revelationis secundum se spectatæ de fide est Christum habuisse omnia etc. N. simul cum aliis circumstantiis sumptæ, aut vi aliarum revelationum, ubi Christus ad Hebr. 4. dicitur homo *nobis per omnia similis absque peccato* C. Nempe quamvis ad propriam locutionem de aliqua veritate requiratur, 1^o. signum externum aptum ad illam formaliter manifestandam seu ingenerandam formalem ejus notitiam saltem implicitam, et 2^o. loquentis intentio hoc faciendi; tamen cum utrumque locutioni possit convenire non tantum per se loquendo, sed etiam per accidens ratione circumstantiarum extrinsecus concurrentium, fit ut illa verba: Christus est homo, ut affecta aliis circumstantiis ac contextu, significant Christum habuisse corpus organicum perfectum, cum omnibus quæ ad connaturalem hominis statum pertinent.

Inst. 2. Deus agendo *ad extra* nequit producere essentialiam metaphysicam, non producta ejus proprietate metaphysica; ergo nec revelare: præsertim quia sicut *ad extra* operando operatur secundum rerum exigentiam, nisi velit patrare miraculum, sic etiam debeat dici revelare.

R. N. *Cons. Disparitas* est, quia *productio* terminatur ad rem, prout hæc est a parte rei et in esse physico: *revelatio* autem terminatur ad rem prout substat intentioni loquentis ad cognitionem audientis directæ atque hinc in esse intentionali; unde quidem implicat produci rem sine altera sibi realiter identificata, quia idem alias esset et non esset productum: non vero repugnat unam formalitatem distinctam ab altera sine hac revelari.

Ad rationem N. supp. Cons. Quia nec revelatio, utpote quæ potest esse præcisiva, nec proprietas, tanquam formaliter distincta, exigunt ut revelata essentialia reveletur proprietas.

Inst. 3. Revelata universali hac: *omnis homo est mortalis*, credi potest

hæc particularis : hic studiosus est mortalis, licet non includatur formaliter in illa ; cum hujus subjectum non includatur formaliter in subjecto illius, eo quod homo formaliter non sit studiosus. *Conf.* Ex eo quod revelatum sit Christi Corpus esse in Eucharistia, de fide est juxta Trid. etiam ibi adesse sanguinem, animam et divinitatem vi naturalis connexionis et concomitantiae ; ergo etiam ex eo quod Christum esse hominem sit revelatum, de fide erit eum esse risibilem.

R. D. Particularis credi potest quoad prædicatum C. credi potest quoad subjectum N. Similiter illud additum D. particularis non includitur formaliter quoad prædicatum N. quoad subjectum C. Patet ex dictis pr. artic. subjectum propositionis particularis in universali contentæ non credi sed supponi, quia in universali non revelatur absolute subjectum sed duntaxat prædicatum ; cum vero hoc, nempe mortalitas formaliter sit idem in propositione particulari et universali, supposito ut certo, quod hic studiosus sit homo, possum fide credere quod sit mortalis.

Ad Conf. D. A. De fide etiam est adesse sanguinem, animam et divinitatem præcise ac vi solitariae connexionis et concomitantiae naturalis N. vi connexionis ac concomitantiae ut substantis alteri revelationi C. Christi corpus in Eucharistia habere sanguinem et animam saltem formaliter implicite revelatum est in illo ad Rom. 6. 9. *Scientes, quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Quod habeat divinitatem similiter revelatum est in eo Joan. 1. 14. *Verbum caro factum est.* Quæ bina cum illo Matth. 26. 26. *Hoc est corpus meum,* constituunt quasi præmissas revelatas, in quibus illa conclusio de præsentia sanguinis, animæ ac divinitatis formaliter continetur. Vi autem verborum illorum, *hoc est corpus meum,* sicut juxta Trid. nequidem formaliter ponitur sanguis et anima, sic etiam non creditur.

Inst. 4. Revelata re metaphysice connexa cum termino aliquo, revelatur etiam terminus ; quia ex hoc Genesis 1. dicto : *In principio creavit Deus coelum et terram,* ubi revelatur actio, potest credi existentia cœli et terræ creata a Deo, tanquam effectus : sed terminus metaphysicæ connexionis non continetur *formaliter* in re connexa ; ergo credi potest aliquid etiam formaliter non contentum in revelato. *Conf.* Revelato uno correlativo etiam revelatur alterum, quia correlativa sunt simul natura et cognitione ; ergo etiam revelata essentia, revelantur proprietates, quia essentia radicans et proprietates radicate sunt duo correlativa.

R. N. M. Si enim non revelantur realiter identificata, multo minus termini metaphysicæ connexionis revelantur. *Ad prob. N. Cons.* Nam dicere, Deus creavit coelum et terram, est formaliter dicere, quod Deus dederit esse et existere cœlo et terræ, cum propositio activa et passiva formaliter idem enuntient. Revelationes autem non sunt accipiendæ in sensu grammaticali, sed morali et humano, secundum intentionem loquentis, prout ex contextu et aliis circumstantiis colligi potest. Si autem ita attendatur illud testimonium Scripturæ, absque dubio formaliter hic revelata significatur existentia cœli et terræ a Deo creata.

Ad Conf. R. ex modo dictis D. A. et Cons. Revelato correlativo qua tali et essentia qua radicante, revelatur saltem implicite aliud correlativum et pro-

prietas radicata C. revelato illo, quod est correlativum aut essentia radicans N.

73. *Obj. II.* Ad hoc ut aliquid sit de fide, sufficit ut illi possim assentiri propter testimonium Dei : sed si constet de identitate hominis cum risibili, possum assentiri risibili propter testimonium Dei revelantis hominem ; ergo. *Conf. 1.* Quando revelatur proprietas aut actio unius, vi hujus revelationis potest etiam credi illius essentia et existentia ; ergo a contrario dum revelatur essentia, credi potest proprietas. *Conf. 2.* Ad fidem sufficit revelatio mediata ex parte *subjecti* ; item connexio revelationis cum objecto revelato ; ergo etiam mediata ex parte *objecti*, item connexio proprietatis cum essentia ut revelata.

R. D. M. Sufficit ut illi possim assentiri propter testimonium Dei ut illud dicentis C. ut dicentis aliud, cui illud est identificatum aut connexum N. Sic enim non creditur propter testimonium, sed assentimur illi propter identificationem vel connexionem, unde quidem scientia theologica seu actus ad habitum Theologiæ pertinens, non autem actus fidei theologicæ sequitur.

Ad Conf. 1^{am}. R. N. Cons. *Disparitas* est, quia regulariter loquendo, si ex parte prædicati revelatur proprietas vel actio, simul ex parte subjecti revelatur ejus essentia et existentia ; cum hæc sint quasi prædicata superiora, quæ in inferioribus formaliter continentur : e contra, revelata essentia, proprietas nec ex parte prædicati nec ex parte subjecti revelatur ; quia hæc in essentia æque parum, ac inferiora in superiori, formaliter continentur.

Ad Conf. 2^{am}. R. *Disparitas* est, quia revelatio ex parte *subjecti* mediata extendit se ratione sui et formaliter ad objectum : quæ autem se tenet ex parte *objecti*, non ratione sui objectum mediatum afficit, sed solum ratione identitatis realis aut naturalis connexionis connotat. *Item* quia prior connexio est ipsa revelatio divina infallibilis adeoque fidei objectum formale ; posterior est vel identitas vel necessaria connexio, quæ objectum formale *scientiæ*, non item *fidei* esse possunt.

Inst. 1. Ad habitum charitatis non solum pertinet, amare Deum propter se ipsum, sed etiam proximum propter Deum ; ergo et ad habitum fidei, non solum credere essentiam propter revelationem divinam, sed proprietatem quoque propter essentiam revelatam. *Conf. 1.* Quamvis creaturæ contineantur in Deo solum virtualiter, tamen earum cognitio in beatis pertinet ad lumen gloriæ ; ergo et quamvis proprietas virtualiter duntaxat in essentia contineatur, tamen assensus de proprietate potest, facta essentiae revelatione, spectare ad habitum fidei. *Conf. 2.* Actus, quo detestor peccatum propter malitiam ejus ut offensæ Dei, est actus theologicus pertinens ad charitatis habitum, licet eo immediate non attingam Dei bonitatem tanquam objectum formale quod ; ergo et actus, quo credo risibilitatem ut realiter identificatam essentiae revelatæ, est actus proprie theologicus et pertinens ad habitum fidei, licet eam non credam immediate propter revelationem divinam.

R. N. Cons. *Disparitas* est, quia sicut proximus a bonitate divina essentialiter pendet et ad eam refertur, sic etiam supponitur amari propter illam ;

unde in amore proximi est motivum formale charitatis, ob quod amor ille merito refertur ad charitatis habitum : e contrario revelatio divina non connectitur cum proprietate, a qua dicens essentiam præscindit ; adeoque nequit esse motivum ad eam credendam.

Ad Conf. 1^{am}. R. D. A. Cognitio creaturarum in quocumque medio a beatis habita pertinet ad lucem gloriæ *N.* formaliter in Verbo seu in divina essentia a beatis habita *C.* Quia vero ad hanc habendam requiritur, ut actus, quo cognoscitur essentia divina, idem sit, quo cognoscuntur creaturæ, et præterea Dei essentia sit ratio formalis ac motiva, cur creaturæ cognoscantur ; patet hanc formalem in verbo cognitionem creaturarum omnino pertinere ad lumen gloriæ ; cum ex opposita ratione assensus proprietati præstitus ad fidem pertinere nequeat.

Ad Conf. 2^{am}. R. Ejusmodi actum detestationis (si supponatur tam objectum materiale scilicet peccatum, quam formale scilicet malitiam aversari, neque habere pro objecto formali *ut quod*, saltem partiali, bonitatem divinam, quam prosequatur) non esse theologicum neque pertinere ad habitum charitatis, utpote cujus objectum formale, a quo tamen tam actus aversativus quam prosecutivus virtutis specificari debet, *ut quod* non attingit. Si vero ejusmodi detestatio sit quidem aversativus objecti materialis, sed tamen vel partialiter vel totaliter prosecutivus, ratione objecti formalis, erit quidem theologicus et spectans ad charitatem ; sed quia hinc etiam proprium motivum charitatis habet, aperte discrimen inter *Ant.* et *Cons.* elucescit.

Inst. 2. Multa sunt de fide quæ *virtualiter* tantum sunt revelata. *Prob.* Quæ Ecclesia definit, sunt de fide : sed Ecclesia multa definiit, quæ tantum sunt *virtualiter* revelata, v. g. Christum habere duas voluntates, quod tantum *virtualiter* revelatum erat in revelatione duplicis in Christo naturæ ; ergo. *Conf.* Negans Christum esse risibilem censeretur hæreticus, quia revelatum est Christum esse hominem ; imo esset formaliter hæreticus, quia qui negat proprietatem, negat etiam essentiam, et hinc, negata risibilitate, negaret humanitatem revelatam ; ergo aliquæ veritates sunt de fide ex vi revelationis, in qua *virtualiter* tantum continentur.

R. N. Ass. Ad prob. D. M. Quæ Ecclesia definit ut credenda, sunt de fide *C.* quæ definit tantum ut theologicæ certa *N.* Similiter *D. m.* Ecclesia multa definit ut credenda, quæ tantum sunt *virtualiter* revelata *N.* ut theologicæ certa *C.* De fide credendum nihil Ecclesia proponit, nisi quod implicite saltem est revelatum in verbo Dei scripto vel tradito : potest tamen id quod *virtualiter* in revelato continetur, proponere tanquam theologicæ certum, ita ut oppositum illi sentire sit temerarium et schismaticum, non vero hæreticum ; duas enim in Christo esse voluntates revelatum est *immediate* in Scriptura. Ex hac constat Deum habere propriam voluntatem, et Christum esse Deum, ac consequenter habere voluntatem divinam : præter hanc autem alteram adhuc fuisse in Christo voluntatem nempe humanam, similiter habetur in Sacris Litteris, ubi Christus Luc. 22. dixit : *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Cæterum hic non suscepimus definire in particulari, sitne de fide hæc vel illa veritas singularis.

Ad Conf. R. D. 1^{am}. p. Ant. Censeretur hæreticus, quia præsumeretur

negare humanitatem explicite revelatam *C.* quia et si præcisè negaret aut connexionem inter humanitatem et risibilitatem aut revelationem risibilitatis *N.* Circa hunc *sylogismum* : Omnis homo est risibilis : Christus est homo ; ergo Christus est risibilis ; triplex casus est possibilis : 1^o. ut quis non penetraret connexionem essentiae ac proprietatis : quo casu ille negaret majorem, nec dici posset hæreticus, ut per se liquet : 2^o. ut quis, penetrata connexionem illa et præmissis concessis, neget consequentiam ; quo casu quia præsumitur negare conclusionem non ex eo quod neget evidentem illationem, neque etiam præmissam naturaliter evidentem ; sed quod neget præmissam revelatam, quæ est obscura, etiam præsumitur et arguitur esse hæreticus ; quamvis si reipsa non negaret revelatam præmissam, revera non foret hæreticus : 3^o. ut quis penetraret illam connexionem et concedat etiam totum, sed neget consequens esse de fide ; et sic non foret nec præsumi posset hæreticus, sed responderet secundum nostræ sententiæ principia.

Ad 2^{am}. p. N. Ass. et ejus prob. D. Qui negat proprietatem, negat etiam essentiam ut emanantem talem proprietatem *C.* negat eam absolute sumptam, secundum se, et prout est revelata *N.* Potest enim quis, ex proxime dictis, negare connexionem proprietatis cum essentia, adeoque negando proprietatem non negare essentiam.

74. *Observa.* Ex priore præsentique articulo, corollarii more, inferri decidere solet, num *fide divina* credi possit, quod hoc numero Concilium representet Christi Ecclesiam : præsens Romanus Pontifex sit verus Papa et Christi Vicarius : hic Sanctus solemniter a Papa canonizatus fruatur æterna beatitudine. Sed quia singulares sunt cum Hæreticis æque ac Catholicis controversiæ de *Majore* revelata et *Minore* naturaliter certa, quæ tanquam præmissæ afferuntur pro illis veritatibus in conclusione affirmandis ; hinc ad illas controversias in altera parte plenius respondere licebit.

CAPUT II.

DE OBJECTO MATERIALI FIDEI IN SPECIE.

Nomine objecti materialis fidei *in specie* designamus hic articulos fidei Catholicæ, qui id ultra objectum fidei materiale addunt, quod sint fidei propositiones de re ejusmodi, quæ per se ad fidem spectet, et specialem credendi difficultatem contineat. In hujus autem argumenti pertractatione primo quidem de Symbolis, utpote articulos fidei nostræ continentibus, tum de articulis ipsis, demum de quibusdam eorum affectionibus dissetur.